

Quorum censura Musa proterva meast:  
 Dummodo sic placeam, dum toto canter in orbe,  
 Quod volet, inpugnent unus et alter opus!  
 365 Ingenium magni livor detractat Homeri:  
 Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes;  
 Et tua sacrilegae laniantur carmina linguae,  
 Pertulit huc victos quo duce Troia deos.  
 Summa petit livor: perflant altissima venti;  
 370 Summa petunt dextra fulmina missa Iovis.  
 At tu, quicumque es, quem nostra licentia laedit,  
 Si sapis, ad numeros exige quidque suos:  
 Fortia Maeonio gaudent pede bella referri;  
 Deliciis illic quis locus esse potest?  
 375 Grande sonant tragici: tragicos decet ira cothurnos;  
 Usibus e mediis soccus habendus erit;  
 Liber in adversos hostes stringatur iambus,  
 Seu celer, extremum seu trahat ille pedem;  
 Blanda pharetratos Elegeia cantet Amores  
 380 Et levis arbitrio ludat amica suo!  
 Callimachi numeris non est dicendus Achilles,  
 Cydippe non est oris, Homere, tui.  
 Quis feret Andromaches peragentem Thaida partes?  
 Peccat, in Andromache Thaida quisquis agat.  
 385 Thais in arte meast: lascivia libera nostrast;  
 Nil mihi cum vitta: Thais in arte meast.  
 Si mea materiae respondet Musa iocosae,  
 Vicimus, et falsi criminis acta reast.  
 Rumpere, Livor edax: magnum iam nomen habemus:  
 390 Maius erit, tantum, quo pede coepit, eat!  
 Sed nimium properas: vivam modo, plura dolebis;  
 Et capiunt animi carmina multa mei.  
 Nam iuvat et studium famae mihi crevit honore:  
 Principio clivi noster anhelat equus;  
 395 Tantum se nobis elegi debere fatentur,  
 Quantum Vergilio nobile debet epos.  
 Hactenus invidiae respondimus: attrahe lora  
 Fortius et gyro curre, poeta, tuo!